

I C O N
PRÆSVLEÆ SVBLIMITATIS,
Augustis Virtutibus

Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini,

D. STANISLAI
SARNOWSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI PREMISLIENSIS,
Perpetui ABBATIÆ SVLEIOVIENSIS Admi-
nistratrix, &c. &c.

E F F I G I A T A,

A C

ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINI SVÆ
I N

summissæ venerationis ac obseruantix
argumentum,

A

M. ANDREA STANISLAO SAŁECKI,

Phil. Doct. ac in Alma Vniuersit. Cracov. inter Collegas Minores Professore,
cum festiua omnigenæ faustitatis appreciatione

O B L A T A.

Anno Reparatæ Salutis, M. DC. LX VII.

Cal. Decembris.

IN GENTILITIVM INSIGNE
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
SARNOVIANA



*Felices Anima, quibus amplo munere Diuū,
Concessum SOLEIS iungere signa CRVCIS.
Altero enim loquidò monstratur Martia virtus:
Est pietatis apex alterum, & archetypus.
Non citius vestra in Lechicis laus desinet oris,
Quàm CRVCIS interris gloria deserit.*

IOANNES de Tęczyn T A R Ł O.,
Palat: Sendomir:
Almæ Academiæ Crac: Studio



XVII-7515-III



Lluxit tandem post tot fastidiosas præstolationum cædiosarum
 cunctationes amica dies, quâ, non tantum visu iucundâ, auditu
 gratâ sublimium virtutum Tuarum venustate, non secus ac luo-
 i fragrantia ex Pharytæo opobalsamo spirante sese oblectandi; verum
 etiam votiuo debitæ salutationis charistico Te honorandi, meæ auenti
 Melpomene conceditur facultas, **AMPLISSIME MÆCENAS.** Cui profectò
 venerationis & obseruantia in Te suæ symbolo, tantò maiorem gratiam
 sperat hinc affuturam, quòd proprium Tuum esse desiderauerit, ut potè,
 cum illo Ideam Tui præferri expetiisset. Vtinam verò aut Zeusidis indu-
 striâ, aut Parrhasij solertia meæ obtigisset Musæ, ut præconceptum opus
 eò venustius exhibuisset. Quanquam nec istorum licet vsque adeò de-
 cantatorum artificum conatus, ipsi, perinde ac par esset, efformando suf-
 ficerent. Etsi enim magnæ strenuitatis documentum esse oportet, affa-
 bre vultus argutias, capillorum cincinnos, oris decorem, ceteraq; cor-
 poris lineamenta & attributa exprimere; quin tamen longè perfectioris
 dexteritatis specimen sit præclaras animi dotes effigiare, nec Abderites
 inficiaretur. Istas verò tam speciosas, tamque multiplices præcellæ Tuae
 menti Natura & Ars impertiuir, ut, non aliter atque lucida in Firmamen-
 to sidera, in Te refulgeant. Gloriosum habetur inter mortales, alicuius
 præstantis artis notitiâ pollere, diutinâ rerum tractatione experientiam,
 prudentiamque comparare, eloquentiâ & differendi artificio valere, le-
 gum peritiâ callere, arcanis politiæ abundare; his facultatibus omni-
 bus ita Tu excultus es, ut Tyresias videâre. Perspexerant hanc indolis
 Tuae felicitatem illi Eminentiissimi Romæ Purpurati; idcirco dicto tena-
 cius familiaritatem Tecum coluerunt. Cognouerant plurimi Italiæ,
 Germaniæque Principes; proinde mirum in modum libenter Tecum,
 conuersari exoptauerunt. Animaduenerat Rex Serenissimus; quocir-
 ca Te ab exteris regressum confestim lateri suo adhaerere fecit, ac secre-
 tiorum consiliorum consortem esse voluit. Cuius Tu negotia ea dexte-
 ritate tractasti, ut nihil eiusmodi occurreret, quod aggressus prospere
 non expediueris; nihil expediuisti, quod ille non approbauerit. Quo
 meritis, ut ad Referendarij Munus euehereris, quem laborem in illa
 statione in gratiam Patriæ non subiisti? quid boni communis causâ fa-
 cere decreuisti? ut dignus iudicareris, nedam nouis ornamentis au-

geri, sed altioribus quoque Regni officijs cumulari. Quippe parum ducens Princeps eximius perpetua Abbatia Suleiouiensis ad administrationem inprimis, deinde Tiara Premisliensi Te ornasse, ni & Apostrophagismatis Regni curam tradidisset, promptè id Tibi offerebat, si suscipere non renuisses. Scilicet nota ei fuerat exquisita Tua prudentia, perspecta patrii iuris consummata noticia, manifesta industria, euidentis strenuitas, clara negotiorum quantumuis difficillimorum expediendorum promptitudo. Siue enim ad finitimos Principes Oratorem gesseris, siue in Conuentibus Regni Ciuum de communi bono consultaueris, siue ad sedandos tumultuantium identidem cum euidenti Patriæ discrimine militum animos perrexeris, tanta felicitate intenta exsequebaris, ut cuncta è voto Principis ac Reipub: cederent. En hocce ipso anno quidni Gauga Crimensis, cum rebelli Zaporouianæ colloquer antesignano Dereszenkone, totam Poloniam peragrasset? iamque satis & opum inopem, & incolarum infrequentem, ac plurimis in locis incultam & horridam ad extremam perniciem redegisset, nisi Tu obuiasses? Videns enim hostem in dies porrectius in Regnum tendisse, Exercitum autem potius irritamenta ad novos nexus incundos, quam inuitamenta ad animos Patriæ defendendæ deuouendos ex Commissione Leopoliensi capessisse, in eo modis omnibus elaborasti, ut tandem lux consensionis inter partes disconuenientes affluisset. Atque ita, quod affectus illorum hominum leui sæpe offendiculo ab æqui obseruantia resilire solitorum pacarentur, quod mancipati obsequio nutantis Poloniæ milites ad transactionem cum Republ: pangendam hostem nauiter sustinuissent, quod trepidatio, quæ vehementer omnium Regni Ciuum animos consternauerat, euauisset, quidni rectè Diuino præsidio id attribuat? annon conuenienter magnam horum partem Fama publica & ad Te referat? Faxit ergo illa Suprema Maiestas, quæ pro iustitia sua meretur, & pro bonitate dispertit in hoc Vniuerso omnia, ut, qui graueris in commodis Poloniæ, faustè protollas vitam in eam ætatem, quâ iummis etiam in Repub: perfungens dignitatibus, intuearis eam vndiquaque amenitate, ac rerum omnium abundantia exuberantem.

Hoc apprime officiosa precatur mea Melpomene,
hæc Superis nuncupat vota, festinè debitum Tuis virtutibus occinens
præana.

P Ræclare PASTOR Christiadum Gregis,
 Premusliensis DVX Populi pie,
 Quàm voca cultâ? quàm nitenti
 Carmine concelebrandus esses?
 Ut qui mereris, cui famuletur, &
 Desudet Agmen Thespiadum, cui
 Parnassus occinat venustè
 Threicio modulando plectro.
 Cur? quippe PRÆSVL dotibus inclytis
 Ornatus amplè, largiter exhibes
 Hunc Præfulem, BERNARDVS ille
 Quem cupit in Cathedra sedere.
 Iustum colis, quin Iustitiæ domus
 Effectus optas, hanc fieri Deam.
 Quæ de polo prospexit alto,
 Christicolis rigidè experendam.
 Es Sanctitatis sat speculum patens,
 In quo refulget simplicitas sacra,
 Et candor, & venusta dictis
 Gratia, pernitidique mores.
 Exemplar annon & pietatis es,
 Cano Tonantem perpetuò colens
 Honore, Divos Spiritusque
 Empyream celebres per Aulam?
 Tu veritatis semper amabilis
 Assertor, almæ tu Fidei decus,
 Tu murus, arx, auspexque, tutor;
 Religionis & Orthodoxæ.
 Mirè his in oris, Præsides Te, vige
 Cultus sacrorum, schisma rescinditur,
 Et Nationis Roxolanæ
 Vana superstitio exolefcit.

Quantam necesse est esse Tibi poli
Curam? quàm amorem sollicitum DEI?
Concreditæ cùm Ecclesiæ eius?
Eximius Paranympus exstes?
Hinc splendor aris, hinc venerabili
Mystæ sacrorum non studium leue,
Ardor perennis visionis
Hinc, solidæ pietatis æstus.
Illustris haud tot Creta monilibus,
Haud tot smaragdis enitet India
Ferox metallorum, quot inde
Commoda proueniunt amænæ.
Contentanè istis egregijs licet
Prognata passim tendere in ardua
Virtus? sed, euolans in altum,
Auricomo capite astra tangit.
Præbere nōsti pastum Ouibus Tuis,
Quod intuentes solliciti Greges,
Rectum capeſſunt, incitati
Gressibus antecuntis amplis.
Num destituta est insipientium,
Cohors Magistro Nestorei eloquī?
Idoneos quos reddis astris
Dogmate flexanimo ciendo.
Solamine æquo perpetientium,
Leuas dolorem rebus in arduis,
Te quisquis interpellat æger.
Mente, animi reperit medelam.
Vt nauta preſus turbido in æquore,
Tumultuoso Pleiadum choro
Frangente nubes, auspicato
Tyndaridum recreatur ortu:
Sic come numen Te Irus inops habet,
Ac aduocatum turba gementium,

Tu Castor, & Pollux amandus,
 Tu tutilans Cynosura mæstis.
 Papillus, expers laticiæ diæ,
 Gestis patronum sæpius intuens.
 Te, flebilis perplexa causa,
 Iudice Te, Viduæ triumphat.
 Cæcis coruscum lumen inertibus,
 Mutis disertum os, debilibus quoque
 Fulcrum es, seuerus ultor atri
 Flagitij, scelerisque diri.
 Princeps fidelem Consiliarium.
 Te habet, Senatus magnanimum ducem,
 Rei Polonæ sustinendæ,
 Et Patriæ ad decus erigendæ.
 Tu, sanctionum rem moderantium
 Mundi que curas, ingeniosus es
 Interpres, auctor, arbiterque
 Disparilis minimè Catoni.
 Carus Sacerdos Cælicolis, probus
 Mysteriorum veridici DEI
 Promus, Vicarius benigni
 Multipotens opere atque CHRISTI.
 Quid maius istis muneribus sui
 Spectator Orbis sollicitus tenet?
 Quæ, fulgurantis instar auri,
 Efficiunt hominem nitere.
 Tanta apprecari fulera Poloniæ
 Labet, potiri dummodo fas foret,
 Quidni paratum esset suarum
 Præsidium, columenque rerum.
 Deuota morti pectora liberæ
 Essent, doleret cum gelido Scythæ
 Cosacus horrendam benignis
 Diluuiem meditatus agris,

Rediret almæ lux Patriæ vetus,
Demptusque splendor, gloria bellica
Rediret, æternanda claros
Per titulos, memoresque fastos.
Qualis vel illis temporibus fuit,
Tentaui armis, impius Osmanes
Bizantiorum, dum Polonum.
Imperium gladio potentum.
Aut dum triumphis Lechiacis erat
Subiecta faustè Moscua perfida;
Aut prædicant qualem in profundo
Saxa Borysthene collocata.
Ergo, decoris empta laboribus,
Obliviosum nesciet Hesperum,
Virtus Tua, Antistes, sonari
Digne chely citharâque Phæbi.
Viues Virorum laudibus. En Tuum.
Frequens in ore est nomen amabile,
Eritque, dum suus canoris
Æquus honos fuerit Camænis.
Viues. vetat nam Melpomene tenax
Vicæ sepulchro laudis adoream.
Partæ recondi, sed coluros
Emeritum locat inter ipsos.
Viues perennis, Macrobios agens
Longæus annos; post, tumuli moras
Et fata præteruēctus, olim,
Parte Tuî meliore viues.

